



**Eminentissimi Ac Reverendissimi Domini, D. Joannis Baptistæ, Cardinalis De Luca, Theatrum Veritatis Et Justitiæ, Sive Decisivi Discursus**

Ad Veritatem Editi In Forensibus Controversiis, Canonicis & Civilibus, in quibus in Urbe Advocatus, pro una partium scripsit, vel Consultus respondit ; Cum Indicibus Argumentorum, Causarum ac Rerum luculentissimis. Opus Tam Judicibus, Quam Causarum Patronis, atque omnibus in utroque Foro ...

Pars I. De judiciis & judicialibus. Hoc est de Sententia & re judicata, Executione, Attentatis, Judice, Notario, Advocatis, Procuratoribus, Expensis, & aliis ad materiam judiciorum. Pars II. Relatio Romanæ Curix forensis, ejusque Tribunalium, & Congregationum

**Luca, Giovanni Battista de  
Coloniae Agrippinae, 1691**

Disc. XXXIX. De condemnatione, ac restitutione, vel refectione fructuum, & expensarum, seu damnorum, & interesse &c. Et de sportulis, vel propinis.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74090](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74090)

suppleat, cum similibus, de quibus in suis respective sedibus; Ac propterea ( ut præmissum est ) non de facili, certa regula generalis desuper statui potest, cum ex facti circumstantiis totum pendeat, ac etiam ex Tribunalium stylis.

De condemnatione, ac restitutione, vel refectione fructuum, & expensarum, seu damnorum, & interesse &c. Et de sportulis vel propinis.

## S U M M A R I U M.

- 1 Appellatio à condemnatione, vel liquidatione fructuum, vel expensarum suscitare solet causas iam finitas in negotio principali per rem judicatam, vel per tres conformes, dum in his licet appellare quamvis non esset licitum in negotio principali.
- 2 Quod à liquidatione detur appellatio, & quomodo restricta in Curia.
- 3 De inspectionibus que cadunt in materia.
- 4 Prohibita appellatio à negotio principali, non est prohibita ab expensis, vel sportulis, & hæc non veniunt sub clausula parito.
- 5 Fructus post malam fidem, & expensæ debite in ratione damnorum, & interesse, debentur, quamvis Iudex non condemnaverit.
- 6 Qualis effectus resultet à facta, vel respectivè omi-ssa condemnatione.
- 7 Ab expensis iudicialibus iusta causa litigandi excusat.
- 8 Ab omi-ssa condemnatione istarum expensarum non datur appellatio.
- 9 An valeat absolutio conditionalis, quatenus victus acquiescat.
- 10 In Curia de stylo sit condemnatio semper ad expensas, & non practicatur conclusio de qua num. 7. ac etiam fructuum à die motæ litis.
- 11 Quod iste stylus circa expensas non videatur probabilis.
- 12 Quando deferri debeat stylus, nec ne.
- 13 Condemnatio fructuum à quo tempore fieri debeat, referuntur plures opiniones, & que placeat.
- 14 Qua bona fides excuset à fructibus.
- 15 De fructibus ad quos fieri debeat condemnatio etiam ante motam litem.
- 16 Declaratur, quomodo praticari debeat regula de qua num. 10. & in condemnatione fructus veniant à die motæ litis.
- 17 De expensis iudicialibus, que veniant in condemnatione, que sint.
- 18 De stylo Rota non concedendi refectionem propinarum.
- 19 An refici debeant ille propina, & expensæ, quas non oportebat facere, vel oportebat etiam sine oppositione colligantis.
- 20 Sive an ille, que necessaria sint pro legitimatione, vel qualificatione persona.
- 21 An pro expensis, quas creditor anterior faciat, habeat eandem anterioritatem.
- 22 An reficiantur ille expensæ, que debuissent fieri, sed victor verè non fecit.
- 23 An pretendi valeant sportula, si post causam instruatam, causa concordetur, vel renunciatur liti.

- 24 De Advocato, vel procuratore obrimente salarii consuetum, si causa concordetur.
- 25 De contributione habentium interesse in causa.
- 26 An Civis, vel Canonicus contribuat in expensis litis, quam habeat Civitas, vel Capitulum cum se ipso.
- 27 De expensis extrajudicialibus, vel mortuis, quando refici debeant.
- 28 Ille qui negligit opponere fori declinatoriam, tenetur ad expensas, & quando secus.
- 29 Anteneatur quis ad fructus etiam antequam constitueretur in mala fide, eo quia postea licem sustinuit.
- 30 De restitutione fructuum percipiendorum, quos victor potuisset percipere, licet victus non perceperit.
- 31 De alio casu refectionis omnium expensarum faciendæ mandatario, vel administratori, aut negotiorum gestori.
- 32 De usu propinarum qui damnatur, & de inconvenientibus, que exinde resultant.
- 33 De summa propinarum.
- 34 Quod Papa supra omnes alios Principes habeat bonos, & gravatos ministros.
- 35 Improbantur etiam participationes panarum, & incarcerationum.
- 36 De liquidatione fructuum, & expensarum.

## D I S C. XXXIX.

Cum posita re iudicata exequibili, adeo ut nullum ex præmissis, ordinariis, vel extraordinariis remediis, amplius suppetat, circa ipsam rem principalem in iudicio deductam, remaneant iudicii appèditia, circa fructus interim lite pendente decursos, ac etiam circa eiusdem litis expensas, aliave damna, & interesse; Hinc proinde, post jam finitam litem in negotio principali, super huiusmodi appèditis, vel consequutivis, non solum cadunt quaestiones, sed adhuc durant lites; Idque aliquando, ob varietatem ingeniorum, à qua procedunt omnia litium mala, & inconvenientia ( quibus impossibile est occurrere, cum sit defectus nature ) sequuta interim mutatione eorum, ex quorum iudicio prodiit iudicatum, ita istud, etiam post executionem retractari solet; Sepius enim, atque in dies contingit, ut denegata appellatio, ac etiam restitutione in integrum, à re iudicata, sive à tribus conformibus, vel à quarta exequutoriali; Adhuc tamen superfit, & committatur appellatio à condemnatione fructuum, vel expensarum, quæ in una, & non altera sententia continetur, unde propterea, non verificentur in hac parte tres conformes, sicuti verificantur in negotio principali, & per consequens intrat dicta appellatio, *Gregor. deus. 2. 32. decis. 379. par. 9. rec.* Sive quod appellatio interponatur ab excessiva taxatione, vel liquidatione, tam fructuum, quam expensarum, unde propterea signari solent commissiones, cum referipto ab excessiva tantum, &c. Ista que occasione, reviviscere solent cause penè mortuæ, dum etià à liquidatione datur appellatio, quæ tamen in Curia per Constitutiones Apostolicas est restricta, ut liceat semel tantum, ut præsertim in casu de quo tit. de fidei commiss. disc. 179.

Quatenus itaque ad huiusmodi incidentia, seu consequutiva pertinet; Dux cadere solent inspectiones, quæ forensibus quaestionibus ansam præbent; Primo nempe, an fructus & expensæ respectivè, refici debeant, quamvis in sententia, quæ in iudica-

judicatum transit, explicita non contineatur condemnatio, quæ resultare dicitur ex dispositione legis; Et secundò, posita condemnatione, sive illa sit sit legis, sive sit hominis, quid sub ea veniat, & sic quæ species expensarum refici debeat, vel qui fructus restitui, aut damna, & interesse præstari, ideoque non sit quæstio super substantia, sed super qualitate; Istaque etiam posita, adhuc quæstio cadit super qualitate, vel super modo, & sic super liquidatione, super qua consistere potest gravamen, quamvis illud non adesset, tam super substantia, quam super qualitate.

Atque hinc sequitur, quod commissa causa appellatione remota, id non capit expensas, quæ non veniunt sub clausula *confitio*, vel sub clausulis *Barbosa*, *claus. 97. nu. 18. & seq. conferunt deducta apud Gregor. & add. decis. 36.*

Agendo itaque de prima inspectione, an scilicet, & quando adhuc debeantur fructus, & expensæ, quamvis Juxta neglexerit, ad istam condemnationem procedere, adeo ut victor, hoc non obstante, ex dispositione, vel ratione legis id prætere valedat, Distingendum est inter fructus, & expensas merè judiciales, & alias expensas sive judiciales, sive extrajudiciales, quæ veniunt sub nomine damnorum & interesse, ex aliqua extraordinaria ratione, ut infra.

In prima enim, ac tertia speciebus; Verius est, ut adhuc debeantur, quamvis condemnatio omnia sit, quoniam repositum esse non debet in arbitrio Judicis tollere illud jus Partis, omitendo illius condemnationem; Ista verò omisso, illum causat esse tum præjudicalem victori, quod cogitur in novo judicio, novaque actione illud jus experiri, cum ei suffragari non valeat res judicata jam obtenta, ut suffragaretur si condemnatio facta esset; *Bich. decis. 73. Rovis. pragm. 1. de expens. Gratian. discip. 725. Merlin. decis. 843. in fin. add. ad Buratt. decis. 921.*

In dicta verò alia specie expensarum judicialium, quarum resurrectio debita est, tanquam per speciem pœnæ injuncta temerè litigantibus, adeo ut ex dispositione Juris, probabilis causa litigandi, quæ excludat temeritatem, debeat ab eis excusari; Secus dicendum est, quoniam Juxta, qui causam examinavit, eiusque dubia vidit, rectè dignoscere potest, an adsit hæc temeritas, nec ne; Ideoque cum debita sint Judicis officio mercenario, si earum condemnatio in sententia non fiat, non debentur, quamvis alias de stylo ad eas fieri soleat condemnatio, *decis. 218. post Zacob. de oblig. ubi concordantes.*

Atque hinc sequitur, ut sit magis communiter receptum, quod ab omnia condemnatione expensarum non datur appellatio, quamvis non desint contradicentes; *Canonista in cap. significaverunt de appell. Rovis. pragm. 1. de expens. Scaccia de appell. quest. 17. limit. 21.*

Quandoque item Judices, istam condemnationem non faciunt, sub certa conditione, qua non impletur; illam faciunt; Puta victum ab expensis absolvendo, quatenus sententiæ acquiescat, sin minus ad eas condemnatus censetur, quod non videtur in iure prohibitum, ex bono animo dandi finem litibus.

Rarum verò est de his agere in Curia præsertim in Rota, in relatione Curie *disc. 32. cum aliis infra* dum de stylo in quacumque causa, quantumvis dubia, adeo ut victus iustissimam haberit litigandi causam, sit condemnatio in expensis, *Bich. decis. dec. 73. Buratt. & add. dec. 921. & passim.* Minusque o-

mitti solet condemnatio ad restitutionem fructuum à die motæ litis, *infra num. 12.*

Mihi verò nunquam placuit iste stylus, circa expensas, quoniam cum revera ista sit species pœnæ; Hinc irrationabile videtur, ut ei subiacere debeat ille, qui nullatenus delinquens, vel criminofus dici potest, quodque æqualis debeat esse conditio iniuræ, ac temerè litigantis, & eius qui ex iusta causa, agendo, vel excipiendo, eius iura tueri curavit.

Neque in hoc, aliisque similibus, meus intellectus acquievit responsioni, ut id sequatur ex stylo, Id etenim pro meo sensu continere videtur unam ex inceptis legistarum forentium; Siquidem, ubi agitur de puncto ambiguo, in quo urgeant rationes, & argumenta hinc inde, adeo ut incertum sit, an veritas, uni, vel alteri parti assistat; Tunc admitto, quod deferendum est stylo Tribunalis, ut frequenter advertitur, *præsertim supra disc. 25.* Sed quando agitur de puncto, qui pendeat à facti circumstantiis, ex quibus, in uno casu, res potest esse alba, & in altero nigra; Tunc nimium irrationabile videtur, ut utramque rem albam, & nigram pariformiter iudicare debeamus; Ideoque judicium speciem redolet, ut neglectis istis reflexionibus, ita clausis oculis, in omni casu procedi debeat cum stylo, etiam in casu, in quo, ex eius circumstantiis ille irrationabilis remaneat; Omnia etenim pro meo sensu (qui adeo frequenter inculcatur, nunquam tamen satis,) regulari debent à ratione, quæ dicitur anima legis, sive à fine, vel ab effectu, ob quem aliquid, per legem scriptam, vel non scriptam est introductum, dum in jure habemus quod consuetudines irrationabiles dicuntur potius corruptela, quam consuetudines.

Quo verò ad secundam inspectionem; Posita scilicet condemnatione, quid sub ea veniat, Retenta pariter dicta trium specierum distinctione, fructuum scilicet, expensarum merè judicialium, ac damnorum & interesse, quatenus pertinet ad primam speciem fructuum; Ex quo tempore eorum restitutio demandanda sit; Tres habemus opiniones; Unam scilicet magis rigorosam, ut illic à die motæ litis, adeo ut nulla admittatur excusatio, ex causis de quibus infra istamque opinionem, ex eodem stylo, de de quo supra indistinctè sequi videtur Rota & Curia; Sed pro meo iudicio parum probabiliter, *tit. de fideicommiss. disc. 185. & 186. ubi concordantes.*

Adeoque tenaciter, ac rigorose, illius sequaces eam tenent, quod si in locis, in quibus, juxta dispositionem Juris Civilis, intret peremptio instantiæ, quæ deinde restituatur, ex suprema Principis, vel eius magistratus potestate, per quandam in sufflatione spiritus vitæ, adhuc veniant fructus, ab initio, absque eo quod ista peremptio excuset, *ibidem.* Idemque à pari in Curia, si adeo diuturnum accedat silentium petitoris, ut probabiliter altera Pars opinari valeat illam desertionem litis, quæ datur, etiam attendita dispositione Juris Canonici, ob quam non datur peremptio instantiæ, sed desertio, quæ raro ad praxim reducitur, ob tot requisita, quæ alibi recensentur, *supra disc. 7.*

Sive quod possessor reportaverit unam vel plures sententias favorabiles, per quas, justè credere potuerit, bonum jus fovere in eius possessione, quoniam si in gradu appellationis, quinimò (quod magis est) in gradu restitutionis in integrum, adversus re judicatas vel adversus tres cõformes, illæ revocentur, adhuc eadè tenetur opinio, ut fructus veniant, à die motæ litis, *disc. dec. 185. & 186. tit. de fideicom.*

Alter a est opinio de directo contraria, ut scilicet illi non veniant, nisi à die sententiæ condemnationis

ria, per quam, Reus & possessor, agnoscat se non dominum, cum prius lite pendente, spem & opinionem haberit, obtinendi sententiam favorabilem sui boni juris canonizatoriam, cum pendentes litigantes eorum iustitiam credere soleant notoriam, ideoque interim dicendum non est quod fuerit in mala fide, vera & positiva, quæ ad hunc effectum requiritur, *ibid. ubi sup. Ex* ea propositione, quæ in Curia est recepta, atque quotidie volitat per ora Practicorum, quod scilicet qualibet bona fides, vel causa talis qualis, excusat a restitutione fructuum non extantium, & consumptorum; Adeo ut sufficiat etiam illa fides media, quæ datur in dubitante, cum requiratur mala fides vera & positiva, qua non existente, nil refert, quod non adsit bona positiva; Et per consequens, ante Iudicis declarationem, ista mala fides positiva non videtur verificabilis, ex supradicta ratione. *ead. tit. de fideicommiss. disc. 124. 125. & 127. tit. de herede disc. 9. & sequens.*

Tertia verò est opinio media distinguens, & quæ semper mihi placuit, atque omnino probabilis visa est, ac videtur; Ut scilicet, ista censenda non veniat quasi iuris, sed facti, proindeque non recipiat certam regulam generalem, seu uniformem quibuscumque casibus indefinite applicabilem, quodque prorsus erroneum sit, cum iudaico stylo, in solis generalitatibus, sive in conclusionum litera immorari, cum verius decisio regulari debeat, ex singulorum casuum circumstantiis, ex quibus desumendum est, an possessor dici valeat constitutus, nec ne, in mala fide, adeo ut agnoverit vel agnoscere debuerit se non esse dominum, Ideoque neglectis formalitatibus illorum actorum, ex quibus lis mota, sive facta dicatur eius contestatio (cuius tempus aliqui in hoc proposito attendi debere putant; Neglectisque aliis formalitatibus, quæ resultant ex subtilitate legis, an lis bene, vel male introducta, & agitata fuerit, ut contingere solet in illis causis, & litibus, quæ moveantur, ac tractentur coram Iudice incompetente, unde propterea contingat illorum actorum annullatio, cum similibus formalitatibus.

Probabilius videtur, ut attendi debeat substantia veritatis, procedendo scilicet principaliter, cum ratione, non autem cum litera legis, ut supra; Attendendo scilicet illud tempus, per quod, ex productione iurium, sive ex aliis probationibus factis per petitores, possessor agnoscere potuerit, vel debuerit, se non esse dominum, vel iustum possessorem, quodque propterea sibi non liceret percipere, & consumere, suosque facere fructus illius rei, quam ita scivit, vel scire, seu iuste dubitari potuit ac debuit, non esse suam, *ibidem ubi supra.*

Et quatenus aliqua ex dictis circumstantiis excusantibus accedat illius silentii scilicet, vel desertionis litis, quæ de Jure Civili peremptionem instantiæ producat, vel de Jure Canonico desertionem, Tunc respicienda est causa, ex qua istud silentium provenit, cum sepius provenire cum valeat ab indirectis impedimentis, vel a subterfugiis, & calumniis alterius Partis, sive à morte petitoris, una cum ignorantia, vel minori aetate successoris, aut à paupertate, aliove impedimento, adeo ut ex iuribus, ac probationibus, factis, vel aliis circumstantiis, jam sit consumatus dictus effectus malæ fidei in possessore.

Idemque, ubi ex facti circumstantiis constet, quod una vel plures sententiæ absolutoriæ, ita evidenter injustæ sint, atque cum non bonis artibus extortæ, ut malam fidem potius angeant, quam mi-

nuant, cum similibus considerationibus, quibus eadem congruat ratio.

Secus autem si è converso, petitoris silentium, vel sententiæ favorabiles, alivæ circumstantiæ, justam excusationem præbeant, atque possessoris opinionem, seu credulitatem, quod illa res esset sua, vel ad se spectaret, potius confoveant; Nimis enim durum, ac rationabile videtur, ut ille, qui aliquam rem possidere credit tanquam suam, per solam petitionem, nullam, vel non sufficienti justificationem munitam, deindeque derelictam, sive declaratam injustam per sententiam absolutoriam, unde propterea credit possessor, jus suum bene subsistere, iustique in priori credulitate continuavit, percipiendo, & consumando in dies & tempora, illos fructus, quos fortè alias non consumpsisset, vivendo cum eo minus; Ob contrarium iudicium, quod ex mutatione ingeniorum sequatur, retrahendo illas sententiæ vel resolutiones, cum quibus ille in optima fide vixit, pati debeat istam retroactionem, redolentem magnum cumulum in sorte illorum fructuum, quos minutatim in bona fide consumpsit, & in illa præsertim fide quam in eo iuste induxerint sententiæ, & resolutiones Rotæ, cum ita deceptus seu illusus remaneret à publica fide eiusdem, vel alterius magni Tribunalis, aut talis Iudicis, ut ei credere debuerit, atque cum huiusmodi considerationibus, juxta dictam mediam, seu conciliatam opinionem, procedi debere visum est, ut etiam alibi advertitur, *ibidem ubi supra.*

E converso, dari quandoque potest, ac debet condemnatio fructuum, etiam ante motum litem, Vel quia agatur de illis fructibus, qui non veniant solum officio iudicis tanquam mere accessorii ad rem petitam, atque in iudicio deductam, sed principaliter, tanquam per speciem debiti, quod habeat naturam foris, ut (ex. gr.) contingit in fructibus censuum, vel in decimis; Aut in pensionibus ecclesiasticis, aliisque similibus præstationibus, *Cels. dec. 61. Merlin. decis. 663. repetit. decis. 3. par. 7. rec.* Vel quia ex facti circumstantiis constet de præcedenti vera mala fide, quæ, in prædone, vel in spoliatore, Aut in dolofo contrahente, sive in attentante, & similibus considerantur, vel quod de natura rei, fructus veniant ab initio, ut contingit in fructibus, qui veniunt favore coheredis in iudicio petitionis hereditatis pro quibus sufficit condemnatio; eo ipso quod coheres, vel hæres putativus non docet de bona fide, vel de causa excusante, *dicto disc. 9. de herede.*

Igitur, illa regula generalis, quæ per ora Practicorum volitat, quod scilicet fructuum condemnatio faciendæ est à die motæ litis; Accipiendæ quidem est pro regula, ut in dubio tenenda sit, sive pro frequentiori contingentiâ, pro qua petitores, mota illic, ac diligenter curant possessorem de eorum iure instruere cum productionibus scripturarum; Sive quod in possessore sufficiat illa sola scientia, quam petitio inducat; Non autem, ut adeo tenaciter, atque ad literam, cum tali generalitate, in omni casu procedi debeat, ut omnino negligendæ sint circumstantiæ excusantes, vel aggravantes; ob quas cessare debeat restitutio fructuum, etiam post litem, vel è converso, illa fieri etiam pro tempore antecedenti.

Quo verò ad alteram speciem expensarum merè judicialium, & quæ in Curia, ad differentiam aliarum, quæ ut infra, veniunt sub nomine, vel genere damnorum & interesse, atque appellantur expensæ vivæ, factæ scilicet pro actis judicialibus tantum; Istæ solum veniunt in huiusmodi condemnatione;

Ut

Ut sunt expensæ actorum, ac etiam sportulæ seu propinæ, non autem aliæ longe majores, quas litigantes pati oportet, in Advocatis, Procuratoribus, Sollicitatoribus, Agentibus, Copistis; Viaticis, Muneribus etiam licitis & solitis, ac similibus; Atque respectu Advocatorum & Procuratorum, & Copistarum, in Rota solum habetur stylus decernendi quandam modicam summam scutorum decem pro qualibet instantia. *Bich. dec. 73. c. 1. post Zuff. de legitim. process. & sepius.*

Verum Rota habet quemdam stylum singularem, deviantem à stylo communi, & generali omnium aliorum Tribunalium, non demandandi refectionem sportularum, quæ in Curia propinæ appellantur quas ipsamet recepit; Isteque stylus non videtur quale juris fomentum habeat, dum ista est expensæ necessaria.

Solumque in proposito hujus expensæ, & præsertim propinarum ac aliarum, quas facere non oporteat, nisi in expeditione causæ, quando obtinetur sententia, vel ejus exequutio; In facti

contingentia dicere consuevit, ut resciri non debeant illæ expensæ, quas colligant, præter necessitatem facere voluit, pro ejus exuberanti cautela, vel majori satisfactione, Ut contingit quando altera Pars cedat liti, sed cessione non obstante, velit reportare sententiam; Sive quod sibi incumbat necessitas reportandi sententiam, vel faciendi alia acta, quam vis altera Pars se non opposuisset; Puta si quis impugnet professionem in Religione, vel in Monasterio emissam ex aliquo defectu; Illi verò se opponat aliquis conjunctus, ob interesse successione, vel renunciationis, &c. adhuc tamen obtineat sententiam favorabilem, oppositione non obstante; His enim casibus, non videtur, quod sportulas, aliasque expensas hujus iudicii ad oppositorem tantquam victo prætereundum valeat, quodque condemnatio colligantis ad expensas, istas capere debeat, sed solum illas majores, quas ratione oppositionis facere oportuit, aliàs non facturus, dum ista faciendæ erant, etiam nullo existente oppositore. *Bellamer. dec. 3. Lancellot de attent. lre pend. in prat. c. 4. num. 300. add. ad dec. 3. de renunciat. in nov. Merlin. dec. 262. dec. 55. in fin. par. 12. Bich. dec. 534. in fin.*

Idem quoque ubi agatur de illis expensis, quæ fiant pro legitimatione personæ Actoris, sive pro acquirendo illam qualitatem, sine qua, in iudicio esse non posset, neque litem initiare, nempe super re diversa, tanquam super necessaria præparatione, quæ ex ejus parte faciendæ sit, quam vis ille, cui post firmatum statum, diversa movenda erat, se opponat, per viam diversionis, vel per viam præservativæ potius quam curativæ medicinæ suorum jurium; Iuxta prædictum exemplum, quod in facti contingentia dabam de illo, qui aliquod jus haberet sedendi in convivio nuptiali, quatenus tamen vestem nuptialem haberet, atque ita ejus sessio excluderet illum, qui alias eo non interveniente, sessurus fuisset, quoniam, si postquam acquisivit qualitatem necessariam, sine qua, sibi patere non posset ingressus æmulus se opponat, eumque impediatur unde propterea, expensas pro hujusmodi impedimento removendo facere oporteat, aliàs non facturustsi oppositorem non habuisset; Et tunc prætereundum poterit hujusmodi expensarum repetitionem in pœnam injusti impedimenti; Sed non exinde prætereundum poterit refectionem illius impensæ, quam fecerit pro acquisitione ve-

*Card. de Luca de iudiciis & judicialibus.*

stis nuptialis, dum ista est qualitas, cujus acquirenti sibi incumberebat, non ratione oppositionis, sed ratione suæ qualificationis, sine qua, etiam absque contradicere, locum convivii ingredi non potuisset. *sub tit. de credit. d. 147.* Adhuc tamen in quadam facti contingentia, hæc, circa necessitatem solvendi propinas, aliasque expensas etiamsi oppositor non fuisset in causa, pro consueto meo fato reputata fuerunt ratiocinia & subtilitates in casu de quo sub tit. de Regular. disc. 46. & 47. stante stylo condemnandi ad expensas, quo nil ineptius auditum potest.

Atque hinc, in facti contingentia resultare dicebam decisionem quæstionis, de qua in materia crediti & debiti actum habetur; An scilicet eadem anterioritas, vel potioritas, quæ competit pro credito, competat etiam pro expensis, quas pro credito consequitione facere oportuit, ut in dicta se de particulariter actum habetur. *dicto disc. 147. de credito.*

Super hujusmodi autem expensis judicialibus quæ regulariter sub condemnatione veniunt, plures disputantur quæstiones; Illa præsertim, an resciri debeant expensæ, quæ verè factæ non sint, sed fieri debuissent, nisi aliquod accidens ab eis eximisset; Puta quod victor conjunctum, vel amicam habuerit Advocatum gratuitum; Sive quod iudex, ex benevolentia personali, condonavit sportulas, cum iimilibus, super quibus, consuetæ opinionum scissura dignoscitur. *Androl. contr. 263. num. 14. dec. 45. num. 4. par. 4. rec. tom. 2. dec. 2. num. 58. p. 11.* Verum in praxi Curia, videntur istæ quæstiones ideales, cum pro meæ forensis vitæ longo cursu, nunquam eas disputaverim, vel ab aliis disputari audierim, quoniam præsertim propinæ publicè deponuntur penes Notarium, qui eas tradit Iudici; Isteque si vult, eam pecuniam tanquam jam effectam suam, donat victori, atque expensæ Advocatorum, qui solent esse gratuiti non resciantur, ut supra.

Idemque respectu Tribunalium Rotæ ac Auditoris Cameræ, sive etiam Arbitrorum & aliorum Iudicum, dici potest, circa aliam supra insinuatam quæstionem, an scilicet, sequuta renunciatione liti, seu Partibus ad transactionem devenientibus, in limine expeditionis, post causam jam instructam & discussam, atque respectu Tribunalis Rotæ, post jam editas decisiones, ac demandatam expeditionem, per Iudicem prætereundum valeant sportulæ; Quamvis enim de stricto jure, probabilis videatur affirmativa, talisque sit sensus fortè magis communis scribentium. *Gratian. discept. 561. n. 34. & seqq. Cappucc. in prat. par. 2. c. 8. nu. 325.* Attamen Curia Romana non de facili audit istas mecanicas, & sordidas quæstiones, quoniam libentissimè Iudices, præsertim illi magnorum, & nobilium Tribunalium, labores, ac diligentias adhibent; Imò si opus esset, adherent quoque aliquem sumptum de proprio (ut revera quandoque aliquem indirectè adhibitum esse expertus sum) ut Partes concordarent; Solumque in Tribunali Cameræ; Non quidem in casu benevolæ concordie, cum huic nunquam fiat oppositio, sed in casu renunciationis liti, quam una Pars faciat in limine expeditionis, ad solum finem evitandi refectionem sportularum, per quandam speciem fraudis; Dicitur quandoque fuit, ut id fieri non posset; Idque pro causarum qualitate, non improbabiliter, ob illius Tribunalis stylum, quod hujusmodi sportulæ

non

non pertinent ad ipsos Clericos, qui sunt Iudices, sed ad eorum Auditores, tanquam salarium seu præmium laboris, quem jam passi sunt; Et ad instar eorum, quæ habentur de salario Advocati, vel Procuratoris pro toto causæ cursu, ut debeat si per transactionem finem habeat, sive per voluntariam renunciationem. *latè Zacchias de salar. quæst. 52. num. 43. & seqq.*

Verum, & hoc, respectu dicti salarii Advocati, vel Procuratoris, pro meo iudicio, discretè intelligendum est, ut scilicet iste rigor non excludat Iudicis officium pro moderatione, quam æquitas, vel aliqua probabilis ratio, pro facti qualitate exigat, ut alibi in proposito hujus salarii advertitur. *tit. de tutor. & administr. disc. 18.* Sed pariter istæ quæstiones in Curia non audiuntur, & præsertim in Advocatis, qui non nisi à sponte dantibus honoraria recipere solent, ut in eorum rubrica in relatione Curia habetur.

Super contributione autem inter ipsas partes, quæ coræquale jus, vel interesse in causa habeant merito audiuntur quæstiones, quæ tamen non respiciunt istam materiam condemnationis: pro necessaria refectione expensarum judicialium, ad quam una Pars alteri teneatur, sed rem diversam, inter illos, qui eandem repræsentant Partem, pro refectione omnium expensarum etiam extrajudicialium. *plene Larrea dec. 88. Rovit. pragmat. 64. de off. Sac. Reg. Consil. Cavaler. dec. 402.*

Quandoque tamen datur casus, quod ista quæstio cadit inter eos, qui sint æmuli, & collitigantes uno respectu, sed altero, unam, eandemque partem, seu personam ejusdem collitigantis pariformiter constituunt; Puta si Canonicus vel Collegialis, aut civis litem habeat cum Capitulo, vel cum Collegio: seu cum Communitate, an scilicet ipse quoque, tanquam unus de illo corpore, vel de illa universitate, subjacere debeat collectæ, vel contributioni, quæ fiat pro illa lite substinenda contra se ipsum; Et regula est affirmativa, quoties facti circumstantiæ non suadeant limitationem, quod nempe æquitas vel altera congrua ratio id non patiat. *Cavaler. dicta decis. 402. decis. 61. post Zuff. de legitim. process. Rovit. pragmat. 5. de administr. univers. Gregor. dec. 263. Mantica. dec. 262.*

Tertia demum inspectio est, super illis expensis, quæ accidentales, vel mortuæ dicuntur; Istæque regulariter non cadunt sub hujusmodi condemnatione expensarum judicialium, juxta species supra exemplificatas, defensorum, aliorumque operariorum, in ea ratione, ob quam lex victori ad id obligat, in pænam, scilicet temerè litigantis; Benè tamen quando ita exigat ratio delicti, ob quod ista resectio intrat, ex diversa tamen ratione, damnorum & interesse; Ut contingit in ea resectione, ad quam teneatur attentator, seu violentus spoliator; Aut qui alias cum recursibus ad sæculares Magistratus, vel familia injusta impedimenta præstet, cum tunc istæ expensæ, quæ mortuæ in Curia dicuntur, refici quoque debeant. *Royas dec. 348. Dunozett. dec. 825. Cels. dec. 80. & 133. dec. 744. par. 4. rec. 10. 3. in dec. de qua rit. de tutor. & administr. disc. 16.*

Ut generaliter in quocumque alio facto culposo ex rationis identitate intrare debent, ut (ex gr.) habemus in clerico, vel alio privilegiato, qui exemptus ab eo foro, coram quo, citra culpam, vel malitiam, ex justa credulitate, conveniatur, negligat opponere fori declinatoriam

quam in progressu causæ opponat, quoniam reficere debet alteri Parti expensas quas in eo iudicio passus est collitigans, alias non passurus, si ab initio opposuisset.

Nisi tamen subsequens eventus inducat præsumptionem depravati animi alterius Partis, sive cessare faciat illam æquitatem, quæ id suadet; Puta quia postquam opposita est declinatoria: eaque bene justificata: adhuc perseverare voluerit coram eodem Iudice incompetente, quasi quod exinde resultet argumentum, vel præsumptio, quod etiam si ab initio oppositum fuisset, non per hoc fuisset desiturus, sed adhuc expensas facturus fuisset. *Grass. effect. Cler. primo n. 880. & seqq. Bellet. disquis. Cler. in de favor. Cler. person. §. 2. num. 14. & seqq. Gratian. discept. 190. nu. 18. Surd. conf. 396. Farinac. quæst. 8.*

Ex hac autem ratione, in facti contingentia, (me tamen in causa non scribente) Rota idem admittit circa restitutionem fructuum, quod scilicet si possessor, postquam ex iuribus, & probationibus petitoris, iussucenter instrui potuit, vel debuit de ejus non jure, adhuc in sustentatione litis continuavit, teneri debeat ad fructus, etiam temporis præcedentis, in quo adhuc sequuta non esset instructio, atque in bona fide persistere potuit, juxta distinctionem de qua supra; Verum id parum probabile, atque æquivoco laborare visum est, ob claram rationis diversitatem; Ubi etenim agitur de primo casu expensarum, illarum resectio conceditur collitiganti contra negligentem, tanquam per speciem pænæ ejus negligentia, quæ illarum causa fuit. & ex quadam non scripta æquitate, quam cessare facit dicta altera circumstantia, ex qua mala præsumptio resultat; Secus autem in isto casu, qui est in oppositum, ideoque illi eadem non congruit ratio, dum esse etiam perceptionis, & conlequutionis fructuum, est jam perfectus, & consumatus de tempore habili in statu bonæ fidei; Et consequenter ista retrotractio non invenit extrema habilia, neque aliquid habet probabile rationis fundamentum.

Item sub hac tertia inspectione resectionis; In ratione damnorum, & interesse, veniunt fructus percipiendi, qui in prima inspectione condemnationis judicialis non veniunt, quod scilicet collitigans illos non habuerit; & tamen restituere, vel reficere teneatur: non solum ubi nulli fructus ab eo percepti sint, ob illud justum collitigantis impedimentum, quod crimen redoleat, ratione attentatorum vel recursuum, seu spoliis, aut alterius omnino injustæ oppositionis; Sed etiam si eosdem fructus, vel emolumenta alter perceperit, contra quem nulla detur repetitio; Puta (pro frequentiori praxi) si quis injustè impediatur, ne provisor de beneficio, illius possessionem obtineat vel retineat, quoniam tenebitur non solum ad restitutionem illorum fructuum, quos ipse perceperit, sed etiam ad restitutionem distributionum quotidianarum, quæ perceptæ non fuerunt per oppositorem qui impedimentum præstitit, sed accreverunt aliis intervenientibus, cum similibus. *Royas dec. 173.*

Datur, item alia resectio integra omnium expensarum, quales quales illæ sint, sive in iudicio: sive extra, imò quorumcumque damnorum, & quanti interest, favore scilicet mandataris, vel negotiorum gestoris, quamvis causæ eventus malus fuerit; Verum id sub diversa cadit inspe-

inspectione. *dico tit. de tutor. & administrator. disc. 16. dec. 454. par. 9. rec. num. 5. & seqq.*

Cum autem inter expensas litis, sint supranunciatae sportulae, seu propinae; Hinc sub silentio involvere non possum, proprium sensum quem habui ab ipso initio, quo Curiam ingressus fui, eamque praticare cepi; In multis etenim, ejus stylus placuit, nimiumque commendabilis visus est, adeo ut aliis Curis, ac Tribunalibus, exemplar, & norma, merito esse debere videatur; Non tamen placuit in hac parte; Et potissimum, ubi non agitur de magnis, & collegiatis Tribunalibus, in quibus (licet neque id sit omnino commendabile) videtur magis tolerabile.

Semper enim incongrua videtur mixtura pecuniae cum administratione justitiae, pro qua Princeps tenetur, salaria, & stipendia suppeditare, ex redditibus principatus, cum id reputandum veniat inter onera hujus politici matrimonii, pro quorum supportatione, Respublica, ipsi Principi tanquam ejus marito, concedit emolumenta vectigalium, aliorumque jurium regalium, tanquam dotem, cum qua haec onera supportare debet; In collegiatis vero Tribunalibus dici potest tolerabile, dum improbabile est, ut ob singulorum interesse in sportulis, alteretur id quod de jure est faciendum, ubi praesertim sit numerus notabilis judicum; Ut (exempli gratia) in Curia sunt Tribunalia, Rotae, & Camerae; Sed ubi agitur de Iudicibus unicis, vel singularibus, tunc iste censendus est magnus abusus, omnino damnandus, ob multa inconvenientia, quae inde oriri praxis docet; Siquidem, cum propina solvatur solum in expeditione causae principalis per sententiam diffinitivam, non autem, ubi per decretum interlocutorium in judicio executivo, vel summario; Hinc unum de duobus sequi quandoque solet; Ut scilicet, ut aliqui opinantes, quod in judicando cadat arbitrium regulatum a voluntate (quod omnino falsum est) libentius concedant absolutoriam debitori, quam relaxent mandatum executivum favore creditoris, eo quia primo casu datur propina, in altero autem, non; Sive quod, ubi agatur (exempli gratia) de judicio summarissimo mantentionis, vel simili quod est decernendum per decretum interlocutorium, pro quo propina non debetur, illud nunquam conceditur, nisi etiam compleatur processus in judicio ordinario, ad hoc ut eodem tempore sequatur sententia diffinitiva in negotio principali, ad effectum obtinendi propinam, ita concipiendo duas citationes; Unam pro decreto interlocutorio, in judicio summario ad primam; Et alteram pro sententia diffinitiva in negotio principali ad secundam, ut stante stylo habendi terminum pro servato, eodem tempore, seu momento, sequatur utrumque.

Hinc etenim, duo resultant inconvenientia; Primum, quod ille, cujus favore concedendum est mandatum de manutenendo, vel de associando, vel executivum, illud obtinere non potest, si non habeat pecuniam promptam, ad effectum solvendi propinam, aliasque expensas, pro registro, & nota sententiae; Et secundo, quod ita fieri dicitur quaedam cumulatio petitorii cum possessorio, de jure prohibita, & praedicialis eidem victori, dum id frequenter ansam praebet commissi appellacionis, etiam ad effectum

*Card. de Luca de judiciis & judicialibus.*

suspensivum, a decreto lato in judicio summario, vel executivo.

Et quod magis curiosum est, atque aliquando vidi praticari; Stante diversa taxa propinarum, quod scilicet infra summam scutorum mille, scutorum decem auri, vel minus quando summa sit exigua; Usque ad bis mille, viginti quinque; A bis mille ad quatuor mille, quinquaginta; Et ab inde citra usque ad quamcumque summam, centum, Iudex decernat plusquam actor petat, ac velit, ut ita includat eam summam, pro qua major propina debita sit, unde propterea, ratione excessus, locus esse solet appellacioni; etiam ad effectum devolutivum, quae alias ex natura judicii non intraret, cum similibus quamplurimis inconvenientibus; Et praesertim, in Tribunali Theaurarii, seu ejus Auditoris, quandoque, juxta diversam majorem, vel minorem vigilantiam Theaurarii pro tempore, magna sequuntur inconvenientia circa facilem exvinculationem locorum montium, cum magnis, ac irreparabilibus praediciis, quod non sequeretur, si iste usus propinarum non adesset.

Nullum siquidem ex his inconvenientibus auditur in Tribunali Auditoris Camerae, coram ipsomet, vel ejus Locumtenentibus, aut coram Praelatis, quando procedunt tanquam ab eo deputati, eo quia nullae solvuntur propinae; Et tamen audiuntur coram eisdem, in causis commissariis, in quibus solvuntur, ideoque, ad evidentiam liquet de productione inconvenientium; Ac propterea in ingressu, totoque progressu Curiae, non modicam concepi admirationem, cur desuper non provideretur, tam in Curia quam per universum Statum Ecclesiasticum, abolendo hunc usum, quem, saltem respectu Iudicum singularium, revera esse magnum abusum, praxis docet.

Non percipio etenim, quae ratio differentiae urgeat, cur Auditor Camerae, tenere debeat Auditorum de proprio stipendiatum, cum adeo magno, penaeque intolerabili labore, sine usu propinarum; Ac etiam ejus Locumtenentes, aliunde stipendium habentes, ex emolumentis scilicet actorum seu Notariorum; Et non debeat at idem praticari in Tribunalibus, Vicariis, Camerariis, Theaurariis, Aedilium, & similibus; Et quare Praelati absque aliquo praemio libenter acceptent, imò ambiunt causas, ex deputatione Auditoris Camerae, eosdemque adhibeant labores, quos in causis commissariis; Et tamen, quod in istis sequi debeant haec inconvenientia.

Inter omnes Principes, nullus promptius, ac melius, a ministris, & operariis in iis praesertim, quae concernunt regimen civile pacificum, obtinet, ac obtinere potest servitium, quam Papa (cujus tamen e converso deterior esse videtur conditio in belligeris) ob magnam copiam Praelatorum, qui divites, beneque provisi de proprio, cupiunt atque ambiunt occasiones interveniendi, non solum gratis, sed etiam cum notabili sumptu de proprio, ut quotidiana praxis docet in aliquibus Nuntiaris & Vicelegationibus aliisque guberniis; Ac etiam in Curia in iis Praelatis, qui sunt Votantes Signaturae Iustitiae, nec non interveniunt in aliquibus Congregationibus, & praesertim in illa Consultae; Magis vero docuit praxis (alibi quoque insinuata) occasione pestis, Quod scilicet Praelati deputati, ultra magnos

Q 2

gnos

gnos labores personales, peneque continuas vigiliis, cum evidenti periculo vitæ, notabiles quoque de proprio erogarunt summas, in elemosynis, & subventionibus infirmorum, & suspectorum; Et tamen illi, qui deputati non fuerant, ægre ferebant, atque aliquam deputationem affectabant; Igitur non videtur, quæ ratio, vel necessitas exigat, hujus abusus tolerantiam.

Quinimò etiam respectu Tribunalium collegialium, Rotæ, & Camera, certum est quod si aboleretur usus propinarum in Camera, adhuc Clericatus, quando vacant, cum eodem ardore, magnoque concursu, ambirentur; Et si abolerentur in Rota, adhuc, ob quædam alia emolumenta, aliasque consequentias idem munus in magna existimatione esset, atque pariformiter Tribunal regeretur, eo modo quo nunc regitur, dum cernimus, quod aliqui Prælati, & præsertim Vorantes Signatura, qui etiam interveniunt in Consulta, majores supportant labores gratuitos, Sive absque aliquo incommodo, promptè occurri posset, mediante unione aliquorum beneficiorum, eo modo quo uniantur collegiis puerorum, & locis piis, cum ista videretur pietas major, pro beneficio Reipublicæ, ac servitio justitiæ, ex cujus zelo, bonoque animo hujusmodi desiderium insinuat, abolendo scilicet in totum hujusmodi usum, ut ita tolleretur illa, quamvis indebita, & maligna occasio obloquendi de propinis, & expensis, in quibusdam aliis gravioribus negotiis non contentiosis; Cum etenim ex dicto *Apostoli* sapientibus, & insipientibus debitores simus, atque Romana Curia, non solum ab apertis inimicis, ratione hæresis, vel schismatis, sed etiam ab æmulis, intra ipsamet catholicæ Religionis viscera, undique circumdata sit; Hinc proinde, etiam à licitis, & à legalibus, quæ ignaro vulgo obloquutionis, vel sinistra interpretationis occasionem dare possunt, abstinere congrueret.

Multi enim actus, bona, & commendabilia habent principia, bonisque rationibus, in introductione, innixi sunt, qui tamen ex mutatione temporum, vel ex aliis accidentibus, diversam sortiuntur speciem, unde propterea, aboleri, vel reformari debent. Ut in ipsismet legibus habemus; Ac etiam in praxi forensi in illis contractibus, qui, attenda eorum intrinseca natura, aliquando prius sunt liciti, & justii, & tamen, tractu temporis efficiuntur lætivi, imò iniqui, unde propterea eos aboleri vel reformare, atque ad justitiam reducere oportet, cum similibus.

Longè verò major videretur alter abusus, alicujus participationis, in quarta, vel in decima, vel in alia quota, confiscationum, ac penarum, aliorumque emolumentorum cameralium utriusque Camera Pontificiæ, & temporalis, juxta nonnullos casus in suis respective sedibus insinuat; Id enim, citra disputationem aliquam, vel problematicum discursum, omninò damnabile apud omnes concorditer reputatur; si enim dantur casus à lege considerati, in quibus aliqui Iudices, ac Magistratus, excæcati ab avaritia, illicitas committunt sordes clandestinas, sub tot periculis amissionis officii, aliarumque penarum, ac diffamationis, ultra positivum, & inexcusabile peccatum, cum illaqueatione conscientiæ; Quanto facilius id facere poterunt hujusmodi Iudices eundem avaritiæ stimulum habentes, qui etiam sine merè voluntaria prævaricatione,

intellectum fascinare possunt, atque sibi adulando, opinari quod justitia diversa sit, ut ita licite, ac publice, & palam, imò potius merendo, quàm demerendo, magna reportare valeant emolumenta; Idque usque à primis negotiis, quæ in Curia, circa professionis initia, tractare occasio dedit, redarguere, imò deklamare consuevi, quoniam pro meo sensu vel genio, nimis incongrua est mixtura pecuniæ, cum administratione justitiæ; Stant etenim bene simul, quod retroactis temporibus, ita eorum condicione exigente, pro crimino punishmente, ad allucinosos Iudices, ab ministros, congruum, ac rationabile fuerit, hujusmodi præmia introducere, & tamen quod nunc id sit omninò incongruum, ac irrationabile, dum tot haberi possunt idonei, & integerrimi ministri, qui libentissimè pro sola acquisitione meriti, ad honores & dignitates, jam divites, ac bene provisi de proprio, idem præstent gratuitum servitium; Hæc autem omnia (ut præmissum est,) ex solo zelo, bonoque animo administrationis Iustitiæ ac existimationis Curie insinuata sint, sub censura tamen, ac saniori judicio eorum, ad quos pertinet, quibus deferre, eorumque judicio meum subijcere profiteor.

Super liquidatione item, vel taxatione expensarum, ac respectivè fructuum, quando super substantia refectionis in genere nulla superfit questio, cadere solent disputationes, in quibus non de facili certa statui potest regula, cum totum pendeat à Tribunalium stylis; Illæ verò in materia fructuum habentur regulæ generales, ut etiam faciliores, ac leviores sufficiant probationes, quæ à consuetis præsertim, vel à prædiis adjacentibus, & quandoque à taxa legali desumi solent, juxta singulorum casuum particulares circumstantias, ex quibus Iudicis arbitrium regulandum videtur. *supra disc. 33.*

De exequutione rei judicatæ, ejusque consumatione, tam personali, quam reali, ac etiam spiritali, cum censuris & declaratoriis; Et de subhaftationibus, & adjudicationibus; Ac etiã de exequutoribus, &c. Et de exequutione contra tertium, in quem facta sit alienario lite pendente; Et de cautela *Angeli*, ac aliis ad materiam exequutionis, ejusque consumationis.

#### SUMMARIUM.

- 1 **R**es judicata firmat statum, ac facit ens de non ente.
- 2 Sed non sufficit ad abdicationem vel translationem dominii, & possessionis sine actuali exequutione hominis.
- 3 Fallit in sententia absolutoria, quæ secum trahit exequutionem ipso jure.
- 4 De diversis vocabulis, cum quibus mandata exequutiva appellantur.
- 5 Mandatum exequutivum obtentum contra unam personam non potest exequi contra aliam, nisi reuvertur, vel concedatur exequatur.
- 6 Distinguantur plures species personarum diversarum cum quibus id agendum est.
- 7 De eodem de quo num. 6.